



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**  
**Coloniae Agr., 1684**

Ad Quæst. XIII. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

ciis, & observantia non suffragatur, quia debet probari in specie de cameraria, non autem de aliis in genere. *Roland. consil. 80. numer. 10. lib. 1. Becc. consil. 96. numer. 7. Suid. consil. 354. numer. 6.* aut sunt de eadem Cameraria, prout dantur, una scilicet de anno 1534, & alia duæ de anno 1557. & istæ ultimæ Lupi, & Ferdinandi Archiepiscoporum non sunt productæ in forma probanti, neque effectuatæ; prima vero, quæ fuit Francisci Archiepiscopi non sufficit; quia alia contrariæ supervenerunt. Ac demum si quid roboris inferret, id totum fuit sublatum per exemptionem Sixti V. subsequutam, à qua usque in præsentem diem non dantur collationes de hac cameraria factæ per Archiepiscopos, quæ effectuatæ, & validæ sunt.

Ecce utraque parte informante fuit resolutum.

### Ad Quæst. XIII. Additio.

Exemptio concessa simpliciter an eximat universaliter, ultra casus particulariter ab auctore tactos addegeneralem distinctionem; aut enim quæritur, utrum exemptio indefinita sit universalis extensive; & distinguendum est inter exemptionem purè personalem, & realem sive mixtam: nam exemptio personalis concessa indefinitè & generaliter est universalis respectu omnium locorum, adeo ut locum habeat etiam cum exempti delinquant, contrahunt, aut res sita est extra locum exemptum; realis autem & mixta, quantumcunque verbis generalibus concepta semper intelligitur cum præservazione supradictorum trium casuum per cap. volentes, de privil. in 6. tit. Fagnan. in cap. ex parte numer. 45. & 49. & in cap. voluntas, de privil. in 6. tit. Fagnan. in cap. ex parte numer. 45. & 49. & in cap. voluntas, numer. 8. & numer. 11. de privil. Rota decis. 164. numer. 1. & seqq. par. 7. recent. aut quæritur num exemptio indefinita sit universalis intensivè quoad omnia jura Episcoporum; & dicendum est regulariter non esse universalem, cum semper intelligatur præservatum Episcopo jus visitandi. *Marescot. Var. resol. lib. 2. cap. 15. num. 2. & 3. Rota decis. 2. de cens. in antiq. & dec. 220. num. 22. par. 9. recent.* nisi vel illius juris fiat specialis mentio, vel ipsum privilegium conceptum sit verbis universalibus, & præsertim geminatis. *Fagnan. in d. cap. ex parte numer. 31. & 32. de privil.* & similiter in quavis exemptione Ecclesia non censetur eximi populus nec Presbyter gerens curam populi. *Cap. per exemptionem de privil. in 6.* quod & aperte disponitur in *Conc. Trid. c. 11. sess. 25. de regularibus.* ubi tam regulares quàm sæculares animarum curam personarum sæcularium exercentes subiciuntur Episcopo quoad ea, quæ d. curam

d. curam concernunt, uti in casu speciali matrimonii contracti in Ecclesia seu Cappellâ exemptâ cum præsentia solius Episcopi determinavit *Rota decis. 233. numer. 29. & 30. par. 10. recent. & dec. 305. numer. 9. par. 11. nisi exemptio talis sit, quæ Ecclesiam curam pleno jure subiciat Prælato inferiori per quem videlicet tribuatur eidem plenaria jurisdictio in clericum & populum fuit dictum in Rota coram Card. Mantis. decis. 362. per tot. & in recent. decis. 71. numer. 1. par. 14.*

## DECISIO XLVI.

Declaratur in hac decisione, quod exemptionum privilegia, quantumvis ampla & prægnantia concessa alicui, non inducunt exemptionem rei, contractus, vel delicti, concernentium loca minime exempta.

*Est in recent. decis. 264. par. 7*

R. P. D. Ghislerio.

Auximana Censuræ.

Lune 23. Junii 1636.

## SUMMARIUM.

1. Exemptus quantumvis sit alicuius sita-  
men conveniatur ratione rei sita extra  
locum exemptum, potest coram ju-  
dice rei sita conveniri.
2. Cap. volentes 1. de privileg. in 6. in  
Concilio generali Lugdunensi suis  
compilatum.
3. Exemptionis privilegia, quantumvis  
sint lata, non includunt exemptionem  
rei, contractus, vel delicti concernen-  
tia loca non exempta.
4. Exemptionis plena privilegium, quan-  
tumvis latum, non includit locum  
non exemptum.
5. Res ubi est, potest quis conveniri alicui  
reali, non obstante quocunque privi-  
legio generaliter concessa, quod non  
potest conveniri, nisi sub certo iudice.
6. Contractus, rei, vel delicti ratione quibus  
efficitur de jurisdictione Iudicis illius  
loci, quantumvis contrahens sit ex-  
emptus, licet non dicatur, vel effi-  
ciatur subditus.